



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Horæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

Coctio etiam ciborum pro aegrotis vel aliis, qui pridie sibi cibos parare non poterant, pecorum adaquatio, pabuli subministratio, eorum in aquas vel puteum delapsorum extractio, &c. utrique etiam licita erat. Multò magis hosti irruenti resistere, vim vi repellere, non tamen ultrò aggredi, aut alia bellica citra necessitatem agere. Cæterum sicut stulti fuere & sunt Judæi non audentes die Sabbatho alvum levare, cereos emungere, litteras referare, se contra hostem defendere 1. Machab. 2. Ità confundunt Christianos in tantum, quòd totus Sabbathinus dies ab iis impendatur orationi, lectioni S. Script. in Synagogis. Dum Christiani diebus Dominicis & primariis festis auditione unius Missæ contenti pomeridianum tempus epulando, ludendo, saltando, se inebriando, & quod ex crapula sequitur, jurgiis aut Veneri litando verbis & operibus consumunt, etiam sæpè, dum manè ad cœnam accessere Eucharisticam. Punita est idèò Germania hæresi, & quas non penas execrandus ille abusus meretur, omni conatu ac diligentia à potestate tam Ecclesiastica quàm sæculari eliminandus?

Hora.

*H*ora sexta tenebra facta sunt per totam terram usque in horam nonam. Marc. 16. Non tantum per oppositionem densarum nubium aut interpositionem lunæ; ut vult cum aliquibus Origenes. Quia hoc non sufficit ad uni-

versalem toti orbi ecclipsin, qualem describit Evangelista, sed per subtractionem radiorum solarium. *Hora nona exclamavit IESUS voce magna, emisit spiritum.* Matth. 27. Sic exspiravit in Cruce agnus Dei eadem hora, qua agnus vespertinus seu jure sacrificium offerebatur in templo. Hora nona nostro computu est tertia post meridiem. *Estote parati, quia qua hora putatis filius hominis veniet.* Luc. 12. *Expost tempus non erit amplius.* Apoc. 10.

Elementa. Ignis.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Il. 33. Et tamen aut peccitendum aut ardendum. *Ita maledicti in ignem aeternum.* Matth. 25. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Cant. Moys. *Uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit.* 1. Cor. 3. *Sicut igne probatur argentum & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Prov. 17. *Ignis scilicet tribulationis. Et haec orationi conjuncta curtissima est ad perfectionem via. Non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiae intulit.* Dan. 3. *Symbolum viri perfecti, qui non frangitur adversis. Item divinae providentiae ac potentiae, quod nihil noceat justis, si Deus eos praeservet. Super collecta Synagoga peccantium, & consummatio eorum*